



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum decuerit beatam Virginem matrimonio copulari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

coniugium perfectum fuerit ostendit per tria bona matrimonii, quae ibi fuerunt, scilicet proles, fides, & sacramentum. Proles enim Christus fuit ibi, fides quia ad alterum nullum, & sacramentum quia nullum diuortium. Postea dicit quod matrimonii prima & principalis causa fuit liberorum procreatio. Secunda est fornicationis euitatio: sunt etiam aliae causae minus honestae, ut pulchritudo viri & mulieris, quaerit pecunia & diuitiarum possessio, & alia huiusmodi. Postea remouet errorem quorundam dicentium quod propter minus honestam causam matrimonium non contrahitur, sed quod propter huiusmodi causas non impediatur quin sit matrimonium probat, quia malitia vel peruersa intentio alicuius non commaculat sacramentum, nec eius bonitatem tollit, nec impedit. Vltimo dicit quod in matrimonio Virginis beatae & Ioseph sunt quaedam aliae causae speciales. Prima fuit, ut virgo eius solatio & auxilio sustentaretur. Secunda fuit, ut partus virginis diabolo celaretur. Tertia fuit, ut Ioseph fuisset testis castitatis, virginis, & post defendere eam ab infamia suspicionis, ne ut adultera damnaretur ab hominibus.

## QVAESTIO PRIMA.

Vtrum error impediatur matrimonium.

**C**irca distinctionem istam primo quaeritur, vtrum error impediatur matrimonium. Et videtur quod non, quia sicut requiritur consensus ad matrimonium, sic intentio ad baptismum; sed si quis intendat baptizare vnum, & baptizet alium, vel baptizati ab vno, & baptizetur ab alio, nihilominus esset verus baptismus, ergo similiter si quis consentiat contrahere cum vna credens aliam esse, nihilominus erit verum matrimonium.

2 Item maximus error est in fide, sed ille non impedit matrimonium; est enim verum matrimonium si aliqua contrahat cum viro haeretico quem credit catholicum, ergo nullus alius error impedit matrimonium.

3 Item sicut matrimonium est quidam contractus, ita emptio & venditio, sed in emptione & venditione si detur aurum & quivalens pro alio auro non impeditur venditio, ergo nec matrimonium impeditur, si pro vna muliere alia detur.

4 IN contrarium est, quia secundum legem civilem quae habetur, ff. de iurisdictione omnium iudicum, si per errorem, nihil est tam contrarium consensui sicut error, sed consensus requiritur ad matrimonium, ergo error impedit ipsum.

5 **R**ESPONSIO. Dicenda sunt duo. Primum est, quod error impedit matrimonium. Secundum est, quod non quilibet error impedit ipsum, sed error personae vel conditionis deterioris, ut quum quis liber contrahit cum ancilla quam credit liberam.

6 Primum patet, quia illud quod impedit causam impedit effectum, sed error impedit consensum qui est causa matrimonii, ergo impedit matrimonium. Maior patet. Minor probatur, quia quum consensus sit actus voluntatis quae supponit actum cognitionis, quicquid impedit cognitionem impedit consensum, sed error impedit cognitionem, ergo impedit consensum.

7 Secundum patet, quia effectus in his quae sunt essentialia matrimonio impedit matrimonium, non autem defectus in his quae sunt accidentalia. Sic enim est circa quilibet rem quod manentibus essentialibus quantumcumque variantur accidentalia manet natura rei, non autem quando variantur essentialia, sed solus error personae & conditionis deterioris ponit defectum circa essentialia matrimonii, non autem error fortunae, seu qualitatis, ergo solus error personae & conditionis deterioris impedit matrimonium. Minor patet, quia quum sit quadruplex error personae, ut quum consentitur in vnam, & alia supponitur, & conditionis, quando creditur libera quae est serua: fortuna, quando creditur diues, & tamen est pauper: qualitatis, quia creditur bona quae tamen est mala, solus error personae, & conditionis deterioris est contra essentialia matrimonii: matrimonium enim duo includit personas quae contrahunt, quae sunt quasi materia coniunctionis matrimonialis, & obligationem mutuam, quae est quasi forma

per quam accipitur potestatem in se inuicem: contra primum est error personae, contra secundum est error conditionis, quia vir & mulier in matrimonio ad paria obligantur, sed ille qui est seruitus conditionis non potest de corpore suo facere pariem obligationem cum illo qui est libere conditionis, ergo error conditionis deterioris sicut est seruitus, est contra naturam matrimonii. Dico autem deterior, quia error conditionis paris vel melioris non impedit matrimonium: ut si seruus contrahat cum serua quam credit liberam, vel si quis contrahat cum libera quam credit serua, quia hic non habet locum ratio assignata, hoc autem intelligendum est de illis qui sunt simpliciter serui vel seruae, sicut sunt empitii, vel vernaculi (id est in seruitute nati) tales enim sunt res domini sui, nec acquirunt aliquid sibi, sed domino. Et domini possunt eos vendere tanquam res suas: talis enim seruitus ignorata ab alio coniuge libero nimis est in laesionem iuris quod habere debet vnus coniugum in alterum ratione matrimonii. Potest enim dominus talem seruum mittere ad extremas partes mundi, & ibi eum vendere, & sic coniux libera fraudaretur societate thori simpliciter vel ad maximum tempus.

8 Sunt autem alii qui non sunt simpliciter serui, quibus habeant aliquas condiciones seruitus, videlicet quod non possunt recipere tonsuram clericalem, vel ordines sine licentia domini sui; & quando moriuntur, domini habet bona eorum mobilia & immobilia in toto vel in determinata parte: & tales vocantur homines de corpore, & debent potius dici conditionati quam serui, & ignorantia talis conditionis non impedit matrimonium contrahendum, nec dirimit contractum. Error autem fortunae vel qualitatis non est contra essentialia matrimonii, & ideo non impedit matrimonium: hoc autem intelligendum est quando consensus est absolutus, & verba experimentia ipsa sunt absoluta. Si vero consensus sit conditionatus & similiter verba ipsa experimentia sint conditionata, tunc nullum est matrimonium conditionibus illis non excausibus, nec in iudicio animae, nec ecclesiae.

9 AD primum arg. dicendum quod non est simile de baptismo & matrimonio: quia baptismus habet efficaciam suam ex opere operato, propter quod sufficit quod baptizatus intendat baptizari, & baptizans baptizare, sed matrimonium est quaedam obligatio voluntaria contrahentium habens efficaciam ex consensu eorum, & ideo oportet quod consensus cadat super contrahentes in inuicem, non solum super contractum ipsum.

10 Ad secundum dicendum quod error in fide non est contra essentialia matrimonii sicut personae, nisi error ille causetur disparitate cultus, sicut si contraheret Christianus cum aliqua Iudaea vel Gentili quam credit esse Christianam, & tunc error non esset principale impedimentum sed disparitas cultus: si autem Christianus contrahat cum haeretica (quum sint eiusdem cultus quo ad obligationem, propter baptismum communem) non est error qui sit contra essentialia matrimonii, nec in forma, nec in materia, sicut error personae est defectus in materia.

11 Ad tertium dicendum quod pecunia in contractibus accipitur quasi mensura aliarum rerum, & non quasi propter se quaesita, ut patet ex. s. Ethic. propter quod si non detur illa pecunia quae creditur esse aequalis valoris, nihil obest contractui. Sed si in re quaesita propter se esset error, impediretur contractus: sicut si pro certo scypho auro empto daretur alius, nisi expressè placeret ementi prius, quia tunc fieret quasi permutatio primi in secundum per nouum contractum, quod non est licitum in matrimonio.

## QVAESTIO SECUNDA.

Vtrum decurrit beatam Virginem matrimonio copulari.

**S**ecundo quaeritur de matrimonio beatae Virginis, vtrum decurrit eam matrimonio copulari. Et videtur quod non; quia quicumque consentit in matrimonium, consentit aliquo modo in carnalem copulam, sed talis consensus de rogat virginitati, ergo non decurrit beatam Virginem quae virginitatem vouerat matrimonio copulari.

2 In secundū Hieronymū uouentibus uirginitatē nō solum nubere, sed uelle nubere damnabile est, sed nihil damnabile debuit esse in beata Virgine, ergo beata uirgo postquam uirginitatem uouit, non debuit nubere.

3 IN contrarium est quod dicitur Matt. 1. in textu, cū esset desponsata, &c. Et idem habetur in glossa.

4 R E S P O N S I O. Circa questionem istam dicenda sunt duo. Primum est, quod beata uirgo uirginitatē uouit. Secundum est, quod absque praeiudicio uirginitatis nubere potuit.

5 Primum patet sic: quia in beata uirgine debuit summa perfectio apparere. Dicit enim Anselmus. Decuit ut illius hominis conceptio ex purissima matre fieret quae ea puritate nureret, quae sub Deo maior nequit intelligi. Uirginitas autē praefertur matrimonio dicente Apoll. 1. Corin. 7. Qui nubit bene facit, qui non nubit melius facit, uirginitas autem seruata ex voto praefertur uirginitati absque voto, ut infra patebit, ergo beata uirgo uirginitatem seruare debuit, & ex voto.

6 Quantum ad secundum uidentū est primum in quid consentiant contrahentes matrimonium, utrum in carnalem copulam, an in solam cohabitationē, an in utrumque: quia si consentiunt in carnalem copulam hoc praediuidat voto uirginitatis, si in solam cohabitationē, tunc frater cū sorore potest matrimonium contrahere, quia potest cū ea habitare, quod tamen nō est uerum, quia frater cū sorore non potest contrahere matrimonium. Si autē consentiunt in utrumque hoc iterum praediuidat voto uirginitatis ratione alterius (scilicet copulae carnalis). Ad hoc respondet Magister quod consensus cohabitationis, uel carnalis copulae non facit coniugium, sed consensus coniugalissocietas uerbis de praesenti expressus.

7 Sed istud non soluit in aliquo dubitationem quin quaeramus quid est societas coniugaliss in quam consentiunt contrahentes matrimonium, utrum sit societas solius cohabitationis, & tunc frater cum sorore potest matrimonium contrahere, an sit societas eorum in copula carnali, & tunc erit contra uirginitatis uotum.

8 Dicendum ergo quod consensus qui facit matrimonium, est quod quilibet coniugum consentit transferre potestatem sui corporis in alterum quantum ad redditionē debiti, sicut expresse dicit Apoll. 1. Corin. 7. Vir uxori debitū reddat, & uxor viro, non enim habet uir potestatem corporis sui, sed mulier, nec mulier, sed uir. Et sic consentiens in matrimonium obligat se ad redditionem carnalis copulae, si petatur ab alio coniuge, qualiter ergo potest saluari quod beata uirgo consenserit in matrimonium absque praediuidio uoti sui? Dicendum est dupliciter. Vno modo dicendum quod ante matrimonium beata uirgo habuit propositum seruandi uirginitatē, sed nō uouit, sed subiecit se diuinae dispositioni de contrahendo matrimonio, habēs quidem uirginitatem in proposito tanquam sibi acceptissimam, non tamen simpliciter, sed sub conditione honestissimā (scilicet nisi Deus aliter ordinaret) & sic non fecit contra uotum, cum uotum non emisisset, quod emisit post contractum matrimonium certificata quod Ioseph in simili proposito uolebat permanere: & hoc uidetur intentio Aug. quae recitatur. 27. q. 2. cap. Sufficiat. Cum ergo inter istos. Alio modo potest saluari dicēdo quod ante matrimonium uouit, sed diuina reuelatione certificata fuit de carnali copula nō subsequutura. Et quia sola copula carnalis obstitit uoto uirginitatis, ideo sine praediuidio uoti sui potuit post dictam reuelationem contrahere. Et hoc est quod Magister in littera dicit, Mariam & Ioseph sic consensisse in conjugalem societatem, ut uerū de altero reuelante spiritu sancto intelligeret quod uirginitatē seruare uellet, uterque autem praedictorum modorum innuitur factio, de quo non potest haberi perfecta certitudo, nisi Deo reuelante, & ideo non potest sciri per certitudinem quis praedictorum modorum sit uerior, tamen uterque sufficienter euadit praedictam dubitationem.

9 Ad argumenta patet solutio, quia consentire in matrimonium peccatum est his qui uirginitatem uouerunt, nisi expresse certificati essent de carnali copula nō subsequutura, & sic procedunt argumenta, aliter nō beata uirgo fuit per spiritū sanctum certificata, quod inter ipsam & Ioseph non sequeretur corporalis copula, ideo

fic contrahere matrimonium non fuit in praediuidium uoti sui.

Sententia huius distinctionis. XXXI. in generali & speciali.

Post haec de bonis. Superius determinauit Mag. de causa matrimonij efficiēte & finali, quae sunt causae constitutives matrimonij: hic determinat Mag. iter de bonis matrimonij, quae sunt causae honestantes matrimonij actum. Et diuiditur in tres. Primo determinat de bonis matrimonij. Secundo de actu matrimonij qui per huiusmodi bona excusatur. Tertio ostendit quod huiusmodi bona etiam in matrimonio antiquorum patrum concurrerunt. Secunda dicit. 32. ibi, Sciendum est etiam illud. Tertia dicit. 33. ibi, Queritur hic de antiquis patribus. Prima est principalis lectio, & diuiditur in tres. Primo determinat de ipsiis bonis coniugij. Secundo ostendit quomodo se habent ad matrimonium. Tertio quomodo excusent actum matrimonialem. Secunda ibi, Et est sciendum. Tertia ibi, Cum haec tria bona. Secunda istarum diuiditur in duas. Primo ostendit quod nō in omni matrimonio illa concurrunt. Secundo ostendit quod unum illorum bonorum in quolibet matrimonio inuenitur (scilicet sacramentum) & inquit de contrahentibus contrariam intentionem istis bonis habentibus. Secunda ibi, Solet quaeri cum masculus. Tertia pars principalis in qua ostendit quod bona illa excusant actum matrimonij diuiditur in duas. Primo probat intentum. Secundo obiicit in contrarium, & soluit. Secunda ibi, Sed si concubitus.

2 IN speciali sic procedit, & primo proponit quod tria bona sunt in matrimonio, fides, proles, & sacramentum: ad fidem autem pertinet, ut ad aliam non accedat, ad prolem, ut amanter suscipiatur, & religiose educetur: ad sacramentum uero ut coniugium nō separetur, separatur autem corporaliter ex aliqua causa, nunquam tamen sacramentaliter per totā hanc uitam, quod auctoritatibus confirmat. Addit etiam quod sacramentum quod est tertium bonum matrimonij nō est ipsum coniugium, sed tamen est eiusdem rei signum cuius est coniugium. I. spiritualis & inseparabilis coniunctionis Christi & ecclesiae. Postea dicit quod bonū proles & bonum fidei aliquando in matrimonio deficiunt, nunquam tamen deficit bonum quod est sacramentum. Postea dicit quod illi qui contrahunt ad inuicē incontinentiē causa dummodo perpetuus sit contractus, nec uideatur generatio proles uerum matrimonium contrahunt: illi uero qui uenenum sterilitatis procurant uel similia, ueri coniuges nō sunt. Queritur etiam utrum illi qui abortum procurant sint homicidae. Et respondet quod sic si puerperium est animatum, aliter autem nō. Postea dicit quod illa bona excusant actum matrimonialem ut peccatum non sit, ut quando fidei seruata coniuges conueniunt causa proles, uel ut mortale nō sit quando fide seruata conueniunt in continentiae causa. Ultimo obiicitur in contrarium tripliciter. Primo per Apoll. qui actum coniugalem per indulgentiam concedit dicens: hoc autem dico secundum indulgentiam, sed indulgentia nō est nisi peccati, ergo a culpa nō excusatur matrimonialis concubitus. Et respondet Magister distinguendo de indulgentia sicut supra distinxit de indulgentia confessionis & permissionis concubitus, ergo copula coniugaliss quae fit causa proli indulgetur secundum confessionem sicut minus bonum, sed concubitus qui fit causa incontinentiae indulgetur secundum permissionem sicut minus malum: excusatur tamen huiusmodi actus coniugaliss per matrimonij bona, dum tamen huiusmodi concubitus intra limites matrimonij & bona matrimonij sit. Sed si excedat limites nō excusatur, quod multis auctoritatibus declarat. Secundo opponit per hoc quod omnis concupiscentia & delectatio quae sunt in coitu mala est & inordinata, & ita est peccatum: & respondet illam concupiscentiam semper esse malam & inordinatam in ordinatione penali quae est poena peccati, nō tamen est simpliciter inordinata in ordinatione culpae, quia nō semper est peccatum, illa ergo delectatio coitus coniugij per bona matrimonij defenditur, nisi sit inmoderata & ultra terminos se extendens. Tertio obiicit